



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Chronologia Christiana

**Herbipoli, 1694**

Sæculum XII. Ab Anno 1100. ad 1200.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65495)



AB ANNO 1000. AD 1100. 198

multi igne Sacro correpti, qui membra interna consumens, putredinem inducebat, ac nigrorem, instar carbonum, alii amissis per putredinem manibus ac pedibus ad vitam morte miserabiliorem reservati sunt, plurimi distorti permanserunt & nervorum contractione dirè cruciati A. 1089. *Sigeb.* \* Mortalitas magna in Gallia & Germania 1094. \* Terræ motus cum valido venti turbine die decimo Septembris A. 1095. \*



## SÆCULUM XII.

AB ANNO 1100. ad 1200.

### S. I. Romani Pontifices:

CLXII. **P**ASCHALIS II. Italus Florentin: matre Germanâ natus, ex Monacho Cluniacensi à *Gregorio VII.* Cardinalis creatus ac Pontifex deinde factus A. 1099. *expetente populo, eligente Clero, & toto Cardinalium Senatu collaudante ait Genebrard:* mul-

I 4

tum



tum autem indignante Antipapa *Guiberto*. Sustinuit in Pontificatu plures & potentes adversarios, scilicet *Henricum IV*, & hoc turbas potissimum movente, *Guibertum* Parmensem, *Albertum* de Atella in Italia, *Theodoricum* & *Maginulphum* Romanos, quatuor hos Antipapas, & denique, mortuo *Henrico IV*, filium ejus *Henricum V*. mali Corvi, malum Ovum: ab his omnibus vexatus & agitatus PASCHALIS virtute tamen altior per annos 18. perseveravit, ac demum ad requiem æternam migravit A. 1118.

CLXIII. GELASIUS II. Italus Cajetan: ex Monasterio Cassinensi Romanam Postulatus ab *Urbano II*. & Cancellarius, à PASCHALI autem Cardinalis, ac demum Pontifex elect. An. 1118. Inter plurimas & acerbis persecutiones à potenti *Frangipanorum* familia Romæ, & *Henrico* Juniore sive *V*. Vir ut PLATINA loquitur, fuit Sanctissimus & vita Continentissima; & à *Baronio* propè *Martyr* dictus. Obiit in Monasterio Cluniacensi (quò confugerat



AB ANNO 1100. AD 1200. 195

gerat à facie inimicorum ) An. 1119.  
die 29. Jan:

CLXIV. CALLISTUS II. Dux  
BURGUNDIÆ Regiâ stirpe, & *Henrico*  
Imp: tunc temporis V. Consanguini-  
tate conjunctus: Archiepis: Viennens.  
& Cardinalis, antea *Quido* vocatus e-  
lect. A. 1119. Singulari virtute, pruden-  
tiâ & Auctoritate in obedientiam re-  
degit *Henricum V* ut prætento juri in-  
vestituræ Episcoporum & Prælatorum  
cederet, & bona Ecclesiastica re-  
stitueret. *Frangipanos* Nobiles Roma-  
nos compescuit: *Burdinum* Antipa-  
pam perpetuo carcere continuit: &  
spatio 5. an. plura effecit pro Ecclesia  
Dei unanimi ferè consensu historico-  
rum, quàm 50. anterioribus annis per-  
actum fuerit. Obiit plenus meritorum  
A. 1124. d. 18. Decemb.

CLXV. HONORIUS II. Italus Bo-  
log: Parentibus quidem de vulgo na-  
tus, sed virtute minimè vulgari, Episc:  
Ostiensis, LAMBERTUS dictus & Car-  
dinalis, ac demum Pontifex electus  
An. 1124. familiaritate Doctorum &



Sanctorum virorum mirificè delectatus est, ac præcipuè *S. Bernardi, S. Norberti, S. Ottonis*, Episc: Bamberg. *Hildeberti* Episc. Turon: *Hugonis de S. Vitore &c.* Singulari pietate in Deum, Sinceritate & Charitate in proximum, humilitate in seipso, omnium animos sibi devinxit. Obiit A. 1130. d. 14. Febr.

CLXVI. INNOCENTIUS II. Romanus elect: A. 1130. Nomine & Re INNOCENTIUS: de quo *S. Bernard. Innocentij vita & famâ nullum emulum timent:* LOTHARIUS verè laudabilis. Imperator ab hoc Pontifice coronâ Imperiali insignitus est, & compescuit Schisma contra INNOCENTIUM, quod fecerat Antipapa *Petrus Leonis*, qui *Anacletus* appellari voluit. Concilium generale X. Lateranense II. Sub hoc Pontifice magno Ecclesiæ fructu celebratum, cui mille infulati præfules interfuerunt An. 1139. Obiit An. 1143. die 24. Septemb.

Quia circa hæc tempora *S. MALACHIUS* Archiepiscopus Dunensis in Hibernia Ord. Cisterciensis, coætaneus *S. Bernardi* de Summis Pontificibus, qui vitæ suo Sæculo



culo & secuturis temporibus sedebunt, prophetias edidit, imposterum cuilibet Pontificum suam, unà cum explicationibus apponemus.

CLXVII. CÆLESTINUS II. Italus ex Toscanâ primus fuit, qui absq; Cleri populiq; Suffragiis à solis Cardinalibus, ut hodie fieri assolet, selectus est A. 1143. feliciter & quietè sedit non nisi 5. mensibus de hoc **PROPH: MALACH: Ex Castro Tiberis:** fuit enim Typhern: dictus antè *Quido de Castello.*

CLXVIII. LUCIUS I I. Italus Bononiensis, primò Canonicus Regular: ac S. R. E. Bibliothecarius, post Cancellarius, ac demum Pontifex elect: A. 1144. multa perpeffus ab impio *Arnaldo Brixienfi*, à quo hæretici *Arnaldista*, ab aliis *Politici* dicti. Obiit inter persecutiones à Romano populo maximè commotas; *vir integer, ac recta vite* A. 1145. die 25. Martij. **PROPH: MALACH: Inimicus expulsus.** Fuit de fam: *Caccianemica*. Italicè, *inimicos expellens.*

CLXIX. EUGENIUS III. Italus Ordinis Cisterciensis Monachus, quem non multò antè *S. Bernardus* Abbatem



creaverat, *S. Anastasij triumfontium.*  
elect. A. 1145. propter insignem vir-  
tutem & prudentiam singularem. *Pla-*  
*tina* de ejus electione ait. *Cardinales*  
*nisi divino perciti, hunc Pontificem ele-*  
*gerunt:* Qualis nimirum miserrimo illo  
tempore imprimis necessarius erat. O-  
biit post multa præclare acta A. 1153.  
die 8. Julij. *PROPH; MALACH; Ex mag-*  
*nitudine montis.* Erat enim Patriâ He-  
truscus, & ex oppido *Montis Magni.*

CLXX. ANASTASIUS IV. Ro-  
manus Canonicus Regularis, & Anti-  
stes ad *S. Rufum* Velitris elect: A. 1153.  
premente fame liberalissimus & *pater*  
*ac nutritius pauperum* appellatus, sed  
ostenderunt hunc tantum fata. obiit  
enim præmaturâ morte An. 1154. die  
2. Decemb. *PROPH; MALACH; Abbas*  
*Suburranus.* fuit de familia *Suburra.*

CLXXI. HADRIANUS IV. An-  
glus elect. A. 1154. ante Pontificatum  
*NICOLAUS ANGLICUS* dictus, verè Apo-  
stolus Norwegiæ, quam suâ prædica-  
tione convertit. Vir mitissimus & si-  
mul Sedis Apostolicæ, contra *Fride-*  
*ricum*



*ricum I. Barbarossam* præcipuè, quem Imperatorem ipse coronaverat, postea infensissimum, acerrimus defensor. Tam fuit incurius ex Ecclesiæ redditibus, vel sui, vel familiæ suæ ditandæ, ut matrem suam, non nisi eleemosynis alendam, Cantuariensi Ecclesiæ commendaret. Obiit Anagninæ A. 1159 d. 1. Septemb. PROPH: MALACH: *de ru-re albo*: Natus enim fuit in vili oppido *S. Albani*.

CLXXII. ALEXANDER III. Italus Siensis, antè *ROLANDUS* dictus, Cancellarius *S. Eugenij* Papæ elect. A. 1159. tres Anti-Papas à *Fridericò Barbarossa* vel concitatos, vel corroboratos constanter sustinuit, *Octavianum*, *Quidonem Cremensem*, *Joannem*, quondam *Abbatem Sturmiensem*, sed ordinis desertorem; hunc postremum ita in gratiam recepit, ut ad dies vitæ commensalem secum pateretur. Diffidia gravissima inter *Ludovicum* Gallix, & *Henricum* Angliæ Regem auctoritate & prudentiâ sustulit, qui ambo Potentissimi Reges hunc honorem  
Chri-



Christo in *Alexandro* Vicario ejus exhibuerunt, ut in urbe Totiaco ambo Reges pedites ei infervirent Stratoris officio, ac lævâ dextraq; frenum Equi tenētes, Pontificem magnâ cum pompâ per urbem ad hospitium deducerent. *Fridericus* etiam Imperator tandem ferociam deponens ad pedes ejus prostratus Venetiis in templo *S. Marci* absolutionem ab excommunicatione obtinuit, Ecclesiæ reconciliatus.

Quod circumferunt nonnulli *Alexandrum* III. *Friderico* veniam roganti ac pedes Osculanti, elato pede Cervicem Imperatoriam conculcasse, ac superbè insultasse verbis illis: *Super aspidem & basiliscum ambulabo, & conculebo Leonem & Draconem*, mendacium esse ab inimico homine Seminatum ostendit, *Christophorus Ott*, in Româ gloriosâ, in annotationibus ad Sæculum XII.

Sedit *Alexander* 22. annis & obiit A. 1181. d. 27. Decemb. PROPHET: MALACH: *ex ansere Custode*. Quia fuit de familia Paparocca vel Paparona, *Alexander* enim in insignibus habet Rocca, id est turrim vel custodiam, Pape-ro autem & occa anserem Italis notat. Præ-



Prædixit etiam *Malachias* De tribus Anti-Papis, de *Ostavianus* nimirum qui nomen *Victoris* IV. usurpavit. Sic habet Prophetia: *de tetro Carcere* fuit enim *Ostavianus* Cardinalis *S. Nicolai in Carcere Tulliano*. de *Quidone Cremensi*, qui appellari voluit *Paschalis* III. Sic PROPHE: *Via transtiberina*: fuit enim antè Cardinalis *S. Maria Transtiberim*. de *Ioanne* qui falsò dicebatur *Callistus* III. Sic PROPHE: *de Pannoniâ Tuscia*. Fuit enim Hungarus natione, Episcopus Cardinalis *Tusculanus*.

CLXXIII. LUCIUS III. Italus Lucanus, ante HUMBALDUS dictus Episc. Ostiensis & 50. annorum Cardinalis, Pontifex elect. A. 1181. & primus fuit qui juxta ordinationem *Alexandri* III; elect. à *JACOB: GORDON:* appellatur *vir atate & Sapientiâ gravis*, ideoq; magnæ auctoritatis apud *Friedericum Barbarossam*: In cogitationibus belli Sancti contra Saracenos suscipiendi obiit. A. 1185. die 25. Novemb. PROPHE. MALACH: *Lux in Ostio*. Fuit enim *Lucensis* & Cardinalis *Ostiensis*.

CLXXIV. URBANUS III. Mediolanensis ex familia CRIBELLINORUM ibidem Archiepisc. LAMBERTUS nuncupa-



cupatus. Secundum formam electionis Statutam ab *Alexandro III.* & hodieum usitatam, quam Pontifex non est, nisi duas tertias, sive duas partes Cardinalium ex tribus, Suffragantes habeat, primus in conclavi juxta hanc formam electus A. 1185. iterum potentem adversarium Sedis Apostolicæ habuit in *Friderico Barbarossa*, eò quòd petitionibus ejus contra fas, acquiescere noluerit. Laudem hinc refert ab historicis omnibus veritatis & justitiæ amatoribus & *Constans justitiæ Zelator* appellatur. Obiit ob Hierosolymam à Saracenis iterum captam, penè mœrore extinctus An. 1187. die 20. Octob. PROPHEȚ: MALACH: *Sus in Cribro.* nam Mediolanensis *Cribellinorum* familiæ insigne est *Sus, & Cribrum.*

CLXXV. GREGORIUS VIII. Italus Beneventanus, ante Pontificatum Cancellarius Pontificius ALBERTUS dictus, elect: A. 1187. Cum multa Sollicitè moliretur pro recuperanda Hierosolyma à terrestri, ad cœlestem evocatus est A. 1187. die 16. Decemb. cum  
sedis.



sedisset tantum I. mente. PROPH: MALACH: *Ensis Laurentii*. Fuit enim Cardinalis *S Laurentij* in lucinâ, cujus insignia. *Enses falcati*.

CLXXVI. CLEMENS III. Rom: elect. 1188. Auctoritate & Consilio suo effecit, ut Confœderati Christiani Principes quartam expeditionem contra Turcas susciperent: de quâ infra. Obiit A. 1191. die 10. April. PROPHE: MAL: *de Schola exhibit*: Romanus enim fuit ex *domo* seu familia *Scholarium*.

CLXXVII. CÆLESTINUS III. Roman. 65. annis Romanæ Ecclesiæ Diaconum egit, & Pontifex in grandævâ ætate elect. est An. 1191. postri-die suæ coronationis *Henricum VI.* filium *Friderici Barbarossa* & *Constanziam* conjugem Imperii Coronâ insignivit; præfuit alacri virtute & zelo toti Ecclesiæ 7. annis, & obiit An. 1198. die 8. Jan. PROPH: MAL: *de rure Bovenfi*: fuit de familia *Bovenfi*.

CLXXVIII. INNOCENTIUS III. Italus Anagnienfis ante *Lotharius* dictus elect. A. 1198. quamvis de Comituna



tum Familia esset, Doctor tamen Parisiis promoveri publicè non erubuit tam clarus etiam est monumentis doctrinæ suæ, relictis, ut à *Centuriat: Centur. 13.* DOCTOR: ECCLES: nominetur. Instituit Conc: Lateran: Oecum: XII. tam liberalis in pauperes ut numerati fuerint 8000. quos in Pontificatu suo aluit, duodecim pauperibus singulis Sabbathinis dieb. pedes lavit. Auctor fuit Celeberrimi hospitalis ad S. Spiritum Romæ. Obiit A. 1216. die 16. Jul, PROPH: MALACH: *Comes Signatus.* Fuit enim de familia *Comitum Signis.*

### S. 2. Imperatores in Oriente.

XCVIII. CALO JOANNES *Alexij* filius in venatione. Obiit A. 1143.

XCIX. EMMANUEL sive MANUEL COMNENUS fratribus à patre præpositus quod esset mitiore ingenio, in habitu Monachali ad publicæ pœnitentiæ præbendum exemplum obiit Anno 1180.

C. ALEXIUS II. COMNENUS cogn.



gnomento PORPHYROGENITUS ab *Andronico* strangulatus A. 1183.

CI. ANDRONICUS Imperiū inva-  
sit, & eodem spoliatus & vitâ ab *Isaaco II.* A. 1185. à mulieribus discerptus  
est Harpagonibus.

CII. ISAAC II. Cognomento AN-  
GELUS in vasor Regni, & eodem spolia-  
tus, & oculis erutis, Carceri mancipa-  
tus à fratre. A. 1195.

CIII. ALEXIUS III. Cognomina-  
tus ANGELUS, Imperio nudatus ab *Alexio IV.* suo ex *Isaaco* fratre nepote A. 1205

### *Imperatores Occidentis.*

XIX. HENRICUS V. (aliàs IV.)

Hunà cum Imperio hæredi-  
tariam à patre contumaciam accepit,  
copioso exercitu in Italiam ducto *Pas-  
schalem* PP. oppressit, ut à captivo Jus  
investituræ per vim exprimeret, sed  
ubi vis, quæ ibi voluntas? abscedente  
*Henrico* rescissa omnia, & ipse Ana-  
themati illigatus, nisi malè obtenta e-  
juraret, quare efferatior factus post  
mortem *Paschalis* Schisma concitat

*Bur-*



*Burdini* Anti-Papæ contra *Gelasium* :  
in *Callisto II*. demum pax coaluit Ger-  
man: proceribus *Henricum* expugnan-  
tibus, ut ipse restitutus Ecclesiæ, patre  
felicior obiret ( sine prole tamen ) A.  
1125. SYMB: *Mortem optare malum, ti-  
mere pejus.*

XX. LOTHARIUS II. Saxo ab  
*Innocentio II*. Coronatus. Imperator  
Ecclesiæ fidelis, & de sede Apostolica  
bene meritus: mortuus A. 1138. Sepul-  
tus Cæsareæ cum hac inscriptione:

*Exiit membris heu trinâ luce Decembris,  
Ecclesia gemitus Cæsaris est obitus.*

SYMB: ejus fuit. *Audi & alteram partem.*

XXI. CONRADUS III. Suevus  
non Imperatoris, sed Regis duntaxat  
Romanorum titulo præfuit, & rebus  
præclarè pro Ecclesia gestis mortuus  
est. A. 1152. SYMB: *Pauca cum alijs, &  
tecum multa.*

XXII. FRIDERICUS I. Barba-  
rossa sive AHENOBARBUS *der Eisens-  
bart* à barbâ ferrugineâ ita dictus, Sue-  
viæ Dux *Conradi* ex fratre nepos, hic  
post multas persecuciones adversus se-  
dem



dem Pontificiam motas, tandem Venetiis *Alexandro III.* cum osculo pedum semet Vicario Christi in triumphum dedit. Sed iterum efferatus, iterumq; mitigatus, post sex expeditiones contra summum Pontificem susceptas, & post Mediolanum funditus dirutum, post tres Pseudo-Pontifices concitatos, post fulmina anathematis excepta, tandem pænis melior factus cum exercitu Centum quinquaginta milium in Palæstinam proficiscitur, multisq; in itinere fortiter & præclare gestis contra Turcas, anno Imperii 38. Serræ Armeniæ amni se immergit, natatu calorem disiecturus, & aquis hauritur An. 1190.

XXIII. HENRICUS VI. (aliis V. & aliis IV.) Filius *Friderici Barbarosse* dictus ASPER ab asperitate morum, à *Celestino III.* Romæ cum *Constantia* Coniuge coronatur; Felix in utraque Sicilia occupanda, sed felicitatem suam crudelitate maculavit, quam in Siculorum plurimos ac nobilissimas familias exercuit, ob varia & gravia delicta



lieta Anathemati à Cœlestino III. Subjectus in eodem, non tamen absq; signis singularis pœnitentiæ, mortem oppetiit, quam in venatione largiore gelidæ aquæ haustu imbibit A. 1198.

SYMB: *Qui nescit tacere, nescit loqui.*

XXIV. PHILIPPUS III. Frater *Henrici* Roman: Rex creatus An. 1199. sed contra hunc Orro nominatus est.

XXV. OTTO IV. Contra *Philippum* imperat, donec ille Bambergæ inter Salutationis officia ab OTTONE *V Wittelspachio* pugione perimitur, OTTONE ideò ab *Innocentio III.* Imperio abdicato, *Fridericus Henrici* filius adhuc adolescens Imperator eligitur.

SYMB: PHILIPPI *Satius est non currere, quam malè currere.* OTTONIS SYMB: *Anser strepit inter olores.*

### §. 3. Concilia.

**R**omanum sub *Paschali II.* 1102. \*  
Trecense triplex 1104. 1107. 1127.  
Hierosolymitanum 1107. Anglicana  
sex. 1108. 1125. 1138. 1143. 1162. 1188.

Bene.



Beneventana duo, 1108. 1113. Vienne-  
nense in Delphinatu 1113. Belvacense  
1114. Coloniense 1118. Rhemense  
1119. Samaritanum in Palæstina 1120.  
Lateranense triplex generale à *Calli-  
sto II.* 1122. sub *Innocentio II.* an. 1139.  
sub *Alexandro III.* 1179. vel 1180.  
Placentinum 1132. Pisanum sub *Inno-  
centio III.* 1134. Francicum 1135. An-  
tiochenum 1136. Senonense 1140.  
Vezelium in Burgundia 1145. Carno-  
tense 1146. Turonense 1163. Con-  
stantinopolitanū 1166. Venetū 1177.  
Parisiense 1186. vel 1187.

#### S. 4. Schismata.

**A**lbertus & Theodoricus contra *Pa-  
schalem II.* 1100. *Mauritius Bur-  
dinus* contra *Gelasium II.* fugâ lapsus,  
intrusus ab *Henrico Imper:* nomen sibi  
GREGOR: arrogans 1119. *Theobaldus*  
qui se falsò nominabat CÆLESTINIUM,  
contra *Honorium II.* 1125. *Petrus Leo*  
qui falsò dici voluit ANACLETUS II. cõ-  
tra *Innocentium II.* 1130. *Octavianus* &  
*Quido Cremensis,* & *Paulò* pòst *Joan-  
nes*



nes Ungarus Abbas Sturmiensis, contra *Alexandrum III.* circa A. 1159.

### S. 5. Propagationes Fidei.

**G**othia cum Rege suo. Livonia cum *Cobba* Rege à *S. Mainardo*, misso ab *Alexandro III.* An. 1186. Pomerania pleniùs ab *Ottone* Episc. Bamberg. misso ab *Innocentio II.* Obiit autem *Otto* A. 1139. Finlandia per *S. Henricum* Episc. & mart: *Soldanus* Iconij à Matre sua clam & ad mortem usq; constanter Christiana petit, & accipit fidei Instructionem ab *Alexandro III.* An. 1169. Similiter Rex Abbassinorum Presbyter *Ioannes*, dictus alias PRETEJANNES missâ legatione ad *Alexandrum III.* Venetiis morantem, petit Doctores Catholicos, à quibus fidem subditi, doceantur, & Schismaticos errores dedoceantur. A. 1169. Suecia ad fidem conversa per *Nicolaum* Anglum, postea Pontificem *Adrianum IV.*

### S. 6. Persecutiones Fidei.

**Q**uàm plurimi à Soldanis Aldeburgensibus \* & à Folacis pro Christo



Christo interfecti. \* Alij à Saracenis in Hispaniâ. \* *S. Thomas* Archiepisc. Cantuar: gladiis impiorum pro tuendâ immunitate Ecclesiasticâ occubuit Anno 1170.

*§. 7. Sanctitate Clari.*

**Q**uido Confes. 1112. *S. Stephanus* Abbas Cisterciensis 1113. *S. Malachias* cujus vitam descripsit *S. Bernardus* 1148. *S. Ericus* Rex Suecie Martyr 1151. *S. Guilielmus* Comes primùm Aquitanie, deinde Eremita 1156. *S. Robertus* Abbas Ord. Cisterciens: in Anglia, alius à Roberto 1. Abbate Cisterciensi 1159. *S. Anselmus* Bellicensis Episc. qui floruit circa annum 1160. *S. Thomas* Cantuariensis Episc. Martyr: 1179. *S. Petrus* Tarentasensis Episc. 1171. *S. Hugo* Carthusianus 1195. *S. Homobonus* Confess. 1197.

*§. 8. Hæretici.*

**D**urandus de VValdach, Marsilius Paduanus, Basilius Caput Bongomilorum. Tandemus, (aliis Tanchelinus.) Petrus de Bruis Dux Petrobrussianorum. Petrus Abailardus. Arnoldus de Brixia caput Arnoldistarum. Gilbertus Porretanus. Henricus Dux Henricianorum. Patareni sive Patrini qui & Cathari Publicani, Pseudo-Apostolici, Hæretici de

K

Barulo



Barulo Adamitæ Tandemi Soboles, VValdo Dux VValdensium, qui & Pauperes de Lugduno. Insabbarati. Albigenfes sive Albiani. Corrierii sive Cotereilli. Maronitæ. Petrus Joannis caput Petro-Johannitarum.

*§. 9. Initia Ordin. Religios.*

**O**Rdo Præmonstratensis à *S. Norberto* nobili Lotharingo A. 1116.  
 \* Ordo Templariorum ( sic dicti quod juxta templum Domini propè Jerusalem in Palatio Regio habitarent ) institutus per quosdam nobiles, quorum præcipui erant *Hugo de Paganis*, & *Ganfredus de S. Aldemaro* regnante *Baldvino*, qui postea albis vestimentis induti, rubricæ panni cruce notati, horum munus erat peregrinos à Machumetanis vindicare, & per terram Sanctam deducere : vitæ rationem præscripsit *S. Bernardus*. Ita *Geneb. in GELASIO*. \* Ordo Hospitaliariorum *S. Joannis* Hierosolymitani 1099. qui dein Rhodum migrârunt 1309. ac demum in Melitam insulam 1522. & ob id *Melitenses Equites* nuncupantur. his incumberebat, peregrinos hospitio suscipere. *Genebr. in Gelasio II, A. 1119.* \* Ordo mi-



do militum Teutonicorum à Germanis Erectus A. 1184. qui quasi ex duobus antecedentibus institutis coalescit, nam & peregrinos suscipere, & urgente necessitate pro religione dimicare hujus ordinis est. \* Ordo militaris S. Lazari à *Basilio* institutus hoc tempore redintegratus. \* 1119. Ordo Guilielmitarum à *Joanne Bona Mantuano* Inchoatus, sed appellatus à *S. Guilhelmo* Aquitaniæ Duce, qui illum sub regula *S. Augustini* formârat. Ordo militaris Calatranensium à *Sanctio* Rege Toleti (ita nuncupantur à loco) regulam Cisterciensium imitantur, veste utuntur nigrâ cû Cruce rubeâ. 1160. \* Ordo Humiliatorum institutus An. 1170. \* Alcantaræ. 1176. \* Ordo militaris *S. Jacobi* \* Ordo militaris Marianorum Ptolomaide, ad instar Teutonicorum. 1190. Ordo Cruciferianorum seu Crucigerorum in Italia 1197. \* Ordo Carmelitarum innotescit Europæ circa annum 1201. *Honorio III.*



S. 10. *Initia Regn. & Princ.*

**P**ortugallia dividitur ab Hispania & fit Regnum primo Rege *Alphonso Henrici* Lotharingiæ comitis filio. A. 1110. \* Dani & Sclavi à Lothario Imperat: Subacti A. 1131. \* Anglia ad Francos translata 1136. \* Eruptio Tartarorum. \* Multæ ad Septentrionem Provinciæ, per eos occupatæ 1188. \* Regnum Cypri permutatum jure in Hierosolymitanum, Captâ scilicet à Saladino Hierosolymâ, datus est à Richardo Angliæ Rege hic titulus umbratilis *Quidoni*, cum coronâ tamen Cypri, quo Posterius ejus ad trecentos annos usi fuerunt, 1191. \* Creta Venetis vendita 1195.

S. 11. *Instit. Sacror. Rituum.*

**A**ggregationes ad merita Ordinum usurpatæ. \* Conceptionis B. M. V. Festum tempore *S. Bernardi* inchoatum est, sed *Sixti IV.* tempore per totam Ecclesiam extenditur. \* Recitatio Rosarij Deiparæ cujus usus inter fideles quarto jam sæculo viguit, hoc



hoc Sæculo reflorescens plurimū augetur. \* Rosa aurea à Pontifice in dominica Lætare benedicta ab *Alexandro III.* sed videtur, ex *Alexandri III.* orationibus & epistolis ejus usus jam ante fuisse.

§. 12. *Nova reperta & Nates Urbium.*

**B**ombycinę vestes à captivatis Gręcis opificibus Orbi occiduo innotescunt, agente *Roderico Siculo.* \* Galitium in Lusitania construitur 1125. \* Rostochium 1145. \* Mediolanum eversum à *Federico* sale superfeminato, itemque Cremona, & Placentia iteratò surgunt 1168. \* Alexandria Longobardię conditur 1168. \* Berna & Friburgum Helvetorum. 1180. \*

§. 13. *Script. Sacri & Theol.*

**L**eo Ostiensis Episc. Cedrenus. Euthymius. Rupertus. Zonaras. D. Bernardus. Hugo de S. Victore. Richardus à S. Victore. Petrus Comestor. Guilielm: Tyrinus Episc. Ioannes Cyparissiotus. Petrus Cluniacensis. Petrus Blesensis. Hugo Ethe-



*ria. Otto Frising. Episc. Theodorus Balsamon Episc. S. Joachimus Abbas. S. Petrus Lombardus Magister Sententiarum Episc. Parisiensis.*

### § 14. *Discip. Natur. Periti.*

**J***ur.* Wernerus sive Iznerus dictus LUCERNA JURIS. Pileus Modicensis. Joannes Boddianus. Bagarotus. Azo. *Math.* Rabbi Abraham. Alpetragius. Daniel Morleius. *Med.* Joannes Mesue. *Phil.* Averroes. Bailardus Abbas. *Philol.* Joannes Satisberiensis. *Hist.* Michaël Glycas. Joannes Picus Anglus. Florentius Wigorniensis. Guilielmus Malmesburiensis. *Poet.* Guntherus. Gotfridus Vintoniensis. Guilielmus Cestriensis. Galfredus P. & R.

### §. 15. *Universitat: & Schole Publica.*

**A**cademia Monspeliensis Anno 1196.

### §. 16. *Strategi & Prælia.*

**H***Enricus* Leo Dux Brunswicensis. \* *Guilielmus* Dux Aquitanie. \* *Ægyptii* apud *Ascalonem* tantâ clade affecti sunt, ut mare ad duo milliaria sanguinaret 1124. \* *Jacquellinus de Masl-*



*Mailly* quem Saraceni S. GEORGIUM & Christianorum propugnaculum nominabant.

Hoc Sæculo duæ expeditiones Cruciatæ ad bellum Sanctum contra Saracenos susceptæ valdè memorabiles. Prima fuit, post Edeffam à Noradino Saraceno expugnatam: tunc veluti Tubâ Sacri belli animante S. *Bernardo*, *Conradus* III. Imperator & *Ludovicus* VII. Galliæ Rex arma movent & armorum ingente apparatu in subsidium properant Christianorum. Sed sinistro eventu. Cæsar enim, cùm ducenta peditum, & equitum millia per Hungariam duceret, *Manuelis* Græci Imperatoris invidiâ, præbentis alimentum, quod gypso permixtum fuerat, magna ex parte corripit exercitum suum: delato tamen in Syriam *Conrado* Damascum à Christianis obsessum est, sed mox dissidio, Teutonicum, inter & Gallicum exercitum, orto, re calamitosissimè gestâ tanti ductores ad propria redierunt. *Bussiers* circa An. 1137.

Altera expeditio Cruciatâ suscepta est, posteaquam (*Quidone* de *Lusiano* *Raymundo* Tripolitano contendente) Hierosolyma Capta est à *Saladino* Ægypti Calipha die Veneris 2. Octob. An. Christi 1187. an: verò ab urbe per Christianos possessâ 88. & Crux Christi ignominiosè flagellata, & exinde tota fere Syria, præter Tyrum, Tripolim



& Antiochiam à Christianorum Imperio avulsa est. Hæc strage perceptâ *Fridericus* Imper. *Philippus* Rex Francorum, *Henricus* Anglorum Rex, cum *Richardo* filio, *Odo* Dux Burgundiæ, *Philippus* Comes Flandriæ, *Henricus* Comes Campaniæ, *Theobaldus* Comes Blesensis, Episcopi plurimi, & omnes fere Regni Franciæ Barones quartam expeditionem contra Turcas, ad preces *Clementis* III. suscipiunt, seque Cruce insigniunt ad opem Christianis ferendam contra Saracenos, A. 1188. & 1189. *Genebr: IN CLEMENTE* III. sed quo emolumento tantus motus armorum? Scilicet: Sola Ptolemaide captâ, duo æmuli Reges (quos nec Religio eadem conciliare poterat) datâ *Saladino* pace, ad sua reversi sunt.

### S. 17. *Res Memorabiles.*

**H**ierosolymitani innumerabilem Ethnicorum multitudinem gloriosâ Victoriâ profligant *Sigeb. A. 1105.*  
 \* Imper. *Ioannes Comnenus* Victorias admirabiles consequitur interventu B. M. Virg. *Baron. 1123.* \* In Monasterio Argentolio territorii Parisiensis divina revelatione inventa est tunica inconsutilis Salvatoris nostri **JESU CHRISTI**, coloris Subrufi, à Matre ejus beatissima con-



contexta A. 1157. \* In quodam Sacello propè Mediolanum reperta sunt tria Corpora Sanctorum Magorum Regum A. 1115. inde verò Coloniam translata esse scribit *Palme*. A. 1168. \* *Quelphi* & *Gibellini* Italiam turbant factionibus suis, illi à *Quelphone*, fratre *Henrici* Saxonix Ducis, & hoste Cæsaris *Conradi III.* partes Pontificis: *Gibellini* autem à *Geblinga* natali solo *Conradi III.* sic appellati, & partes Cæsaris tuentes. *Genebr.* in ALEXAN: III. \* *Vinsberga* obfessa à *Conrado III.* & ad deditionem coacta est: fœminis tantùm ea secum asportandi potestate indulgētā, quibus ipsæ humeris suis efferendis pares essent: quæ viris suis succollantes tanquam charissimam suam suppellectilem, & in hâc charissimâ sarcinâ quasi omnia sua secum portantes, emigrarunt: A. 1140. *Palat. de Conrado* \* *Theologia Scholastica à Lombardo* in formam digesta, ad hæreses expeditiùs infringendas. *Genebr.* in ALEX: III circa An. 1159. \* *Gratianus* Monachus Benedictinus post *Ivo-*



*nem Carnotensem* decretum edit A. 1151.\*

Anno 1163. Moguntinæ Civitatis muri iussu *FridERICI* Imperatoris deiiciuntur, annosque 37. absque Mœnibus permanet ob necatum *Arnoldum* Archiepisc. *Geneb* in ALEX.

III. Quidam dictus *Janus*, vel *Joannes Stampis à temporibus*, quasi Dominus temporum, vixisse fertur à temporibus *Caroli Magni*, cujus ipse armiger erat, usq; ad *Ludovicum Junio-*

rem, annis scilicet 361. ita *Naclerus* in Chron \* *Judæi* multi propè *Aureliam* igni traditi ob puerum in puteum projectum. \* Anno autem 1177. *Blesis* infantem cruci affixerunt, ipsa feriâ V, in cœna Domini, & eodem anno *Parisienses* *Judæi* S. *Guilielmo* necem intulerunt. \* *Iidem* ob usuras & sanguinis *Christiani* pluries factas profusiones ac cædes *Philippi* Regis edicto *Parisijs* expulsi A. 1190. \* Sed anno 1198. Revocati. \* demum A. 1313. Penitus ejecti.

### § 18. *Signa & Even. Trag.*

**V**isi gemini soles 1105. \* *Acies cælestes* 1109. \* *Padus* ex alveo sublimis extat in fornicis modum datâ transeuntibus viâ 1117. \* *Ravennæ* pluv. a *Sanguinea*. 1113. \* *Terræ* motus horribilis præcipuè in *Burgundia*, i. a. ut propè *Cluniacum*, *Castellum* absorp-



sorptum sit, spatiumque ejus aquâ in-  
 credibilis profunditatis repletum A.  
 1156. \* Manifestè in luna conspicitur  
 figura S. Crucis 1157. \* Ingens morta-  
 lum clades ex Belgica Oceani effu-  
 sione per 12. milliaria 1164. \* Latini in-  
 numeri cujusvis Ordinis crudeliter à  
 Græcis cæsi 1183. \* *Andronicus Alexii*  
 nepotis strangulator, Camelo præpo-  
 siterè impositus vulgi furore frustatim  
 ferreis harpagonibus discerpitur 1185.  
*Fridericus* Imperator olim Ecclesiæ in-  
 cendiarius, schismatis excitatis, in Ar-  
 menia coram exercitu miserè mergi-  
 tur 1190.



## SÆCULUM XIII

AB ANNO 1200. ad 1300.

*S. I. Romani Pontifices.*

CLXXIX. **H**ONORIUS III. Rom:  
 el: A. 1216. multis pro  
 recuperatione terræ Sanctæ, laudabi-  
 liter actis *optimus Pastor Ecclesie* obiit

K 6

A. 1227.